



## **Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio**

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt  
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Constitutiones Variorum Pontificum in præcedentibus Editionibus  
desideratas, summoque studio hinc inde conquisitas complectens

**Luxemburgi, 1741**

3. Justis petentium &c. Donationes Godefridi I. Henrici I. & Godefridi II.  
Brabantiae Ducum, in favorem equitum Templariorum confirmat.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74452](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74452)

ad suscipiendum ordinem sacerdotii, si idonei fuerint, appellatione remotâ, compellas. Nul- li ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis & prohibitionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumperit, indignationem om- nipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli se noverit incursum.

Datum Veronæ III. Idus Martii.

III.  
Ex opt. Di-  
plom. Miræi  
Tom. II. pag.  
1189.

Donationes Godefridi I. Henrici I. & Gode- fridi II. Brabantia Ducum, in favorem equi- tum Templariorum confirmat.

LUCIUS EPISCOPUS,

*Servus Servorum Dei: dilectis filiis magistro & fratribus domus militie Templi salutem & Apostolicam benedictionem.*

**J**USTIS petentium desideriis dignum est nos facilem præbere consensum, & vota quæ à rationis tramite non discordant, effectu profe- quente complere.

Quapropter dilecti in Domino filii vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu piam concessionem bonæ memoriæ Godefridi, quondam Ducis Lotharingiæ vobis & domui vestræ rationabiliter factam, ratam esse decerni- mus, eamque, ut indissolubilem obtineat firmi- tatem, præsentibus literis duximus inferendam.

Statuit namque divinitus inspiratus, ut quin- decim mansos & Marefium & prata usque ad flumen Lane, in loco ubi sylva fuit, & vadit secus terram Monachorum Sanctæ Mariæ & terram viri nobilis Gosowini, ex dono suo, propria consentiente uxore sua, habeatis in pos- terum & ad utilitatem domus vestræ utiliter teneatis.

Præterea nepos ejus Godefridus Dux Lo- tharingiæ, cum propriæ uxoris assensu donum à prædicto Godefrido Avo suo factum recogno- vit & ratum habuit, & ad exemplar ipsius relevamentum hominum suorum, tam in Du- catu de Brabantia, quam in Comitatu de Aref- cot: & in tota terra, & in Ducatu suo, sicut ex Autentico scripto ejus agnovimus, vos ha- bere concessit.

Adjiciens, ut quicumque de fratribus vestris in Curia ejus pro reditu illo colligendo mora- bitur, pro se & duobus scuteriis & tribus equi- taturis scenum & avænam habeat, & cande- las, & ferraturas equorum de Curia ipsa percipiat.

Quæ utique omnia, sicut piæ & rationabili- ter data sunt & concessa, rata esse decernimus, & eavo bis & domui vestræ auctoritate Apo- stolica confirmamus, & præsentis scripti patroci- nio communitus; statuentes ut nulli omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirma- tionis infringere & ei ausu temerario contraire.

Si quis autem hoc attemptare præsumperit indignationem omnipotentis Dei & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit in- cursum. Datum Arimini x. Kal. Julii.

Canonicis Carnotensibus prohibet pluralitatem beneficiorum & residentiam præscribit.

LUCIUS EPISCOPUS,  
*Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Petro Episcopo, & dilectis filiis G. De- cano & capitulo Carnotensi salutem & Apostolicam benedictionem.*

**C**UM ab eo cui plus committitur, amplius exigatur, dignum est & consonum rationi, ut qui in Ecclesia vestra præ aliis honoratur stu- diosius illi deserviant, & utilitati ipsius intendant.

Hac itaque ratione inducti auctoritate duxi- mus Apostolica statuendum, ut honores Carno- tensis Ecclesiæ aliis de cæteris minimè concedan- tur, nisi qui secundum antiquam & rationabi- lem consuetudinem residentiam se promiserunt habituros. Si autem post promissionem suam hoc nequaquam impleverint, ab ipsis reddantur ho- noribus alieni.

Ad hæc auctoritate Apostolica inhihemus, ne quis in alia Ecclesia beneficium habens, in Canonicum Ecclesiæ vestræ, aut Plebanum Pres- byterum admittatur, nisi Priori cesserit beneficio, & ab proprio fuerit Episcopo absolutus.

Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat hanc paginam nostræ constitutionis in- fringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumperit, indignatio- nem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum. Datum Velletr. xvi. Calendas Februarii.

Confirmatio Sententiæ contra Comitem Geben- nensem.

LUCIUS EPISCOPUS,  
*Servus Servorum Dei, Venerabilibus Fratri- bus Viennensi Archiepiscopo & Gebennensi Episcopo Salutem & Apostolicam Benedic- tionem.*

**Q**UOCIENS in malefactores Ecclesiarum Ecclesiastice distractionis, Sententia pro eor- um excessibus canonicè promulgatur, tamdiu in sua debet firmitate consistere, donec male- factores ipsi cogantur cum satisfactione condig- na, quæ perperam gesserant emendare. Hinc est quod Sententiam quam in Comitem Geben- nensem & terram ejus pro dampnis & injuriis Gebennensis Ecclesiæ canonicè promulgatis auc- toritate Apostolica confirmamus, & usque ad satisfactionem debitam præcipimus inviolabili- ter observari. Dat. Velletr. Kal. Julii.

URBANUS TERTIUS,  
PONTIFEX CLXXIV.

ANNO DOMINI MCLXXXV.

**U**Rbanus III. Mediolanensis, Lamber- tus Cribellus antea vocatus, Joannis Cribelli filius, Ecclesiæ Mediolanensis Ar- chidiaconus, mox Presbyter Cardinalis ab Alexandro III. factus, creatus Veronæ 7. Kal. Decembris, & coronatus 8. Kalend. Jan. 1185. Sedit annum 1. menses 10.

IV.  
Ex spicil.  
Dacher.  
Tom. III.  
pag. ....

V.  
Ex Archivis  
Reipublicæ  
Genevensis  
exprompta  
collataque  
cum origi-  
nali.

ANNO  
1185.